



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Pactum Redemptionis ante, vel post certum tempus. parag. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

te conveniri secundum consuetudinem com-
muniter usurpatam. Quod si neque hæc ad-
sit, puto cum Virginio a solvi debere in loco,
in quo voluerit Censuarius, ut in l. i. qui ff. de
eo, qui certo loco, nam profecto rationabiliter
solvitur pensio, ubi est res, vel prædium sub-
jectum Censui, pensio enim est loco fru-
ctuum, qui à re, non, nisi in loco, ubi est,
producentur.

CAPUT IV.

De aliquibus pactis, quæ solent
addi Censibus,

Præmittendum est Primo, ad
tiam Censui in conscientia, præ-
tendendo à legibus positivis satis esse,
adesse eas conditiones, quæ sunt de jure natu-
re. Has autem ad duas reducit Lessius. b Pri-
mo, ut sit æqualitas secundum æstimationem
inter Censum, & pretium. Secundo, ut, quan-
do aliqua gravamina hinc inde, præter natu-
ram contractus, per pacta accessoria, impo-
nantur, ea ex prudentis arbitrio debite
compensentur, supponendo semper hujus-
modi pacta, non esse destructiva ipsius con-
tractus.

2. Præmittendum Secundo, universaliter
loquendo, omnia pacta, quæ licita, sunt in
cæteris venditionibus, & emptionibus rerum,
licita esse, etiam in emptione, & venditione
Censuum, quia ejusmodi pacta non tollunt, nec
sunt contraria naturæ contractus Censuum.
Neque dicas, posse apponi unum, non vero
multa, ne id, inquam, dicas, nam si licitum
est, ponere unum pactum, utique justum, li-
citur erit, ponere multa item justa, dum mo-
do contraria in se non sint, mutuoque se non
destruant.

His præmissis, expendamus aliqua pacta,
quatenus ex natura sua possunt addi licite, &
sine injustitia huic contractui, nam, an
ab aliqua lege positiva sint pro-
hibita? erit cap. s. disse-
rendum.

§. I.

Pactum Redemptionis ante, vel post
certum tempus.

1. **D**ico duo. Primum est, esse licitum emere
Censum cum pacto, ut possit redimi
à Venditore intra certum tempus, v. gr. intra
sex annos, sed iis elapsis, & Censui non re-
dempto, fiat Censui irredimibilis, Secundum
esse licitum etiam, emere Censum cum pa-
cto, ut Censui possit à Venditore redimi post
aliquot annos, v. gr. post Sex, ut antea non
possit. Ratio horum est, quia licitum est, emere
Censum perpetuum irredimibilem, ut om-
nes concedimus; ergo & redimibilem; nulla
enim disparitas (posito pretio justo) afferri
potest, ut supra vidimus: ergo licitum etiam
erit constituere prædicta pacta. Probatur hæc
ultima consequentia, quia nihil aliud fa-
ciunt, nisi, quod diminuunt de perpetuitate.
Et quidem Jus redimendi; vel non redimendi
Censum intra certos annos est pretio æstima-
bile, cur ergo emi (secundum legem in contrarium)
justè non possit?

2. Dixi (secundum legem) nam posterius pa-
ctum ex dictis, quia habet speciem quandam
usuræ, periculum illam palliandi, prohibuit
Pius V. in Bulla modo dicta, & inferius
citanda. Prius autem pactum aliqui cum Na-
varra dicunt, non fuisse prohibitum à dicto
Pio V. licet fuisse prohibitum teneat Bona-
cin. e, cum quo sentio, quia una ex conditio-
nibus à Pio V. positus est, ut Censui possit
semper redimi à Venditore. Ita etiam tenet
Delugo, f licet probabilem fateatur esse sen-
tentiam Navarra.

c Mol. d.
391. à n. 5.
Val. T. 3.
in 2. 2. d.
5. qu. 22.
p. 4.

d Navarra.
Less. Mol.
Salas ap.
Delugo.
e Bonac.
Rebel. ap.
eund. De-
lug. n. 4.
f Delugo
d. 2. 7. de
Just. num.
112.

§. II.

Pactum absolutum Redemptionis ex parte Ven-
ditoris, vel ex parte Emptoris.

1. **D**ico Primo, licitum esse emere Censum
Realem cum pacto, ut idem Censui
possit redimi, quando cunque voluerit, Ven-
ditor redimere.

Hoc pactum approbatur, immò in omni
Censu requiritur à Pontificibus Martino,
Callixto, Pio, & probatur ratione, quia li-
citur est, res alias vendere cum pacto, ut
Emptor